



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1734

Quæstio. An hujus præcellentis Viri Matrimonium dissolvi quoad vinculum
possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

galis fuit diu interrupta, & vir domicilium vel quasi fixit in urbe haud multum quidem hinc distita, multorum tamen dierum itinere ac valde remotâ à loco, in quo habitabat uxor. Quare vir hujus solitudinis & vitæ quasi cælibis, cui non erat assuetus, pertæsus cogitare cepit de dissolutione sui Matrimonij, quod non negabat fuisse consummatum, quoad vinculum, aliâque thori consortem sibi jungere, uti ex hujusmodi causis apud Lutheranos facile permittitur; quia verò Catholicos hac in re sciebat difficiliore esse, sapius consultationem instituit cum quodam Religioso in illa civitate ob doctrinæ famam & genij af-

fabilitatem percelebri; quem quoque instigavit, ut occasionem sibi faceret etiam me super hoc argumento disputantem audiendi: quam quoque nactus est, illo Religioso causas, propter quas fieri & permitti possit transitus ad alia vota, diligenter & ardentè proponente, prorsertim propter causam adulterij carnalis, cuius insimulabat suam conjugem, tum spiritualis, quod consistit in hæresi, in qua pertinaciter adhuc illa hærebatur.

✱

QUÆSTIO.

*An huius præcellentis viri Matrimonium
dissolvi quoad vinculum
possit?*

Rationes dubitandi.

Religiosus ille sic argumentabatur. 1. Ipse Christus permittit uxorem dimittere propter ejus

fornicationem, seu adulterij, atque aliam ducere, consequenter dissolvit vere Matrimonium quoad vinculum.

lum: nam Christus *Matth. 19. v. 9.* dixit: *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur, similia docuit Matth. 5.* ergo a contrariis, qui ob causam fornicationis vel adulterij dimittit uxorem suam, & aliam ducit, non moechatur, non adulterat. Neque verba Christi intelligi tantum possunt de dimissione quoad thorum, quia Judæi Christum interrogabant de omnimoda dissolutione, etiam quoad vinculum, Matrimonij: atque hujus viri uxor commisit adulterium, si non carnale, uti tamen creditur, saltem spirituale, cum remaneat in hæresi, quod in Jure æquiparatur adulterio carnali in ordine ad dimissionem uxoris. *c. 6. 4. 7. b. c. ergo. 2.* Plures Principes Christiani dimiserunt suas uxores propter hujusmodi causam, ut quidam Constantinus Imperator Irenem, Carolus Crassus Richildem &c. sed ista non fuissent permilla ab Ecclesia, si licite & valide fieri non potuissent. 3. Lutherani sine scrupulo permittunt marito uxorem dimittere ac aliam ducere propter adulterium, & pro casu, quo comparat amplectitur Religionem Catholicam; tunc enim permittunt alteri se separare, & aliud Matrimonium contrahere, maxime si ad Catholicos transgressus non cohabitent remanenti in Lutheranismis: ergo idem Catholicis licitum & æquum est quasi Jure Talionis. 4. Lutherani non eo modo intendunt

contrahere Matrimonium; quo Catholici, nimirum in ratione Sacramenti & indissolubiliter, sed præcisè in ratione contractus civilis, & solubiliter propter conjugis adulterium, absentiam, inobedientiam in reddendo debito conjugali, mutationem Religionis: ergo hujus viri Matrimonium patitur dissolutione quoad vinculum propter dictas causas, cum actus & contractus non operentur ultra intentionem contrahentium, & mensura obligationis in contractibus sit voluntas ac intentio se obligandi. Atque ex hac causa dicitur quidam Magnus Comes A Catholicus ante paucos annos Romæ licentiam obtinuisse relicta priore aliam ducendi conjugem. 5. Saltem Pontifex dispensare cum isto viro poterit; quia in ejus potestate est dispensare in Matrimonio Rato: ergo etiam in Consummato, cum substantialiter non differant inter se Matrimonium Ratum & Consummatum: non enim concubitus, sed consensus facit Matrimonium. *l. 30. ff. de R. J.* Denique 6. addaxit textum S. Ambrosij relatum in *can. uxor 17. caus. 32. q. 7.* ubi S. Pater explicans verba Pauli *1. Cor. 7.* ubi mulier ab Apostolo prohibetur propter fornicationem viri alium ducere, sic ait: *ideo non subdit de viro, quod de uxore præmisit, quia viro licet ducere aliam.* Similia habentur in *can. concubuit 23. d. caus. 6. q. 1.* item in *can. si qua 6. caus. 31. q. 1.*

Rationes decidendi.

Quidquid autem sit de his, quæ infra examinabimus, Veritas Catholica est, in Scripturis Sacris & à Tridentino definita, quoddam Matrimonia Christianorum semel valide contracta, & consummata, sint quoad vinculum indissolubilia auctoritate humana, etiam Pontificis, licet contingat unum ex conjugibus adulterium committere; consequenter huic viro, vivente adhuc priori conjugæ, non posse permitti transitum ad aliud Matrimonium ob impedimentum Ligaminis.

Inconcussa & irrefragabilis redditur hæc resolutio 1. ex Scriptura S. Novi Testamenti, ubi Christus *Marci 10. v. 11.* ait: *quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Et: *si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Item *Luc. 16. v. 18.* *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Hi textus, quos Ecclesia de Matrimonio consummato intelligendo esse declarat *c. 7. de Convers. Conjug.* absolute, & præscindendo ab omni causa, etiam adulterii, nunquam dissolvi posse Matrimonium quoad vinculum clarè indicant. Id quod Apostolus *I. Cor. 7. v. 10. 11.* videtur ad-

huc magis declarare, dum ait: *is, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit (nempe ex justa causa adulterii à viro commissi; istud solum enim est justa causa divortium perpetuum quoad thorum instituendi) manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Si ex præcepto Domini, adeoque Jure Divino, debeat manere innupta, casu quo non reconciliatur viro, propter adulterium læso, & eam propterea dimittentem, utriusque manet vinculum Matrimoniale, & impedimentum ligaminis, dirimens Matrimonium cum alio. Confirmatur ex verbis Christi *Matth. 19. v. 6.* ubi de existentibus in Matrimonio loquens Christus diserte vetat: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

2. Tridentinum Concilium, quod tanquam legitimè ac univèrsale in suis definitionibus inallabile est, *Sess. 24. can. 5.* sic definit: *Si quis dixerit, propter heresim, aut malefiam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjugæ, dissolvi posse Matrimonii vinculum; anathema sit.* Item *can. 7. subseq.* *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, eam doceri, & doceri, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius Conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi &c. anathema sit.*

si. Ergo indubitata Religionis Catholicae doctrina est, Matrimonium Consummatum nec propter adulterium carnale alterius conjugis, nec propter spirituale, seu haeresim, quod utrumque à Tridentino expressum est, nec propter aliam causam dissolvi quoad vinculum posse.

Confirmatur ex significatione Matrimonii Consummati, quam habet ex institutione sua & voluntate Christi juxta S. Paulum Eph. 6. 5. & communem Catholicorum inter-

pretationem; significat enim conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis humanae (de eo enim loquitur Paulus, dicitur ait cit. 5. Ephes. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & in Ecclesia) Sed ista conjunctio Christi est perpetua & indissolubilis:

ergo.

¶

Diluuntur Objectiones.

Ad ea, quae Religiosus subornatus in speciem objecit, sic respondi, & hic iterum respondeo. Ad 1. Christus permisit quidem dimissionem uxoris quoad thorum & cohabitationem propter ejus fornicationem seu adulterium, non vero dissolutionem quoad vinculum, ut evidenter probant textus & Tridentini definitiones, quibus nostram resolutionem irrefragabiliter firmavimus: imò etiam textus in contrarium allegatus ex Matth. 6. 5. (idem procedit de altero textu, quoad sensum & ordinem verborum prorsus simili, ex Matth. 6. 19.) nostram distinctionem haud obscure approbat, si consideretur, ut oportet, ordo verborum; nam

Christus primum post verba, & aliam duxerit, posuit verbum *moeretur*, non post verba, *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*: ex quo ordine verborum planissime infertur: ergo Christus permisit uxorem dimitti propter ejus fornicationem, non tamen permisit aliam duci: ergo concessit quidem dimissionem uxoris propter causam fornicationis, seu separationem quoad thorum, seu divortium, etiam perpetuum, non tamen omnimodam dissolutionem vinculi Matrimonialis; aliàs enim non dixisset, *virum moereri seu adulterare, si aliam duxerit, & Matrimonii vinculum dissolvere posset.* In ò ipse Christus 6. 19. Matth. cit. v. 8. cla.

clare in Novo Testamento sustulit libellum repudii, quo ipsum Matrimonii vinculum propter conjugis adulterium dissolvere auctoritate Divina Moyses indulserat Judæis propter duritiam cordis eorum, uti & c. 5. Matth. cit. v. 32. ubi sic ordinavit: *Dicitur est antiquis: quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit uxorem &c.* ergo aliud ordinavit, quam Moyses, circa dimissionem uxoris adulteræ sublato libello repudii. Ex quibus etiam corrui argumentum & illatio à contrario, utpote laborans falso supposito, quod Christus verbum *mœchatur* posuerit post verba, *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem.* Permisit Christus dimittere uxorem quoad thorum propter fornicationem, & hoc bene inferitur argumento à contrario, non verò dissolutionem Matrimonii quoad vinculum, quia cum mœchari dixit, qui aliam duxerit. Judæi duo interrogabant, unum, an liceat *dimittere uxores*, alterum, an *propter quamcunque causam*, id intelligendo de omnimoda dissolutione: Christus respondit ad utrumque, unum concessit, nempe dimissionem seu separationem perpetuam quoad thorum, sed solum propter *causam fornicationis*, non verò omnimodam dissolutionem, de qua loquebantur Judæi, alterum negavit, quod *propter quamcunque causam*

etiam liceat separationem seu divorcium perpetuum instituire. Siquis objiciat Jus Civile antiquius, quod l. 1. 2. & aliis *ff. de divort. & l. 8. c. de repud.* permittit dissolutionem Matrimonii quoad vinculum vel mutuo consensu conjugum, vel dato repudii libello, prout Judæis erat permiffum, nōsse debet, quod regulare Matrimonia, quæ in Nova Lege rationem habent Sacramenti, & ideo ad res Spirituales pertinent, ac de ijs disponere nihil possit Princeps vel Magistratus Sæcularis, præsertim contra Scripturam S. & Ecclesiæ definitionem.

Ad 2. Exempla perversorum Principum Catholicorum aq̄e parum, ac Legum Civilium ordinationes, aut Hæreticorum præxis & doctrina, Juri Divino & Catholicæ veritati prævalere possunt. Ad 3. *N. Conseq.* Multa faciunt Aetholici, quæ Catholicis imitari non licet, præsertim ubi S. Scriptura & dogma Catholicum repugnant. Ad 4. Imprimis non ratio Sacramenti, quam utique Matrimonio negant moderni Sectarii, Matrimonium facit indissolubile, aliàs & Matrimonium Ratum esset indissolubile, sed Significatio Matrimonii, Institutio Divina, ac voluntas Christi. Dein etfi Lutherani errore particulari intendant contrahere Matrimonium solubiliter in ratione contractus merè Civilis juxta principia suæ Sectæ, intentione tamen generali & im-

implicita tamdiu censendi sunt velle
contrahere Matrimonium eo mo-
do, quo Christus in Lege nova
contrahi voluit, & inter Christianos
validè iniri potest, ut proles suæ sint
legitimæ &c. quamdiu nimirum
clare non expriment contrarium,
vel de contraria ipsorum intentione
non constat, cum nemo sit præsu-
mendus tam malitiosam habere vo-
luntatem ac intentionem: sed in-
tentio generalis contrahendi validè,
& ut Christus ordinavit, prævalet
eorum errori particulari. Si tamen
hanc intentionem generalem & im-
plicitam non haberent, vel omnino
contrariam, volendo nimirum ab-
solutè solubiler contrahere, & suæ
erroneæ intentioni alligarent suum
consensum, Matrimonium utique
foret solubile, vel potius nunquam
verum & validum, utpote deficiens
in aliquo substantiali, quod requi-
rit Jus Divinum, imò & Naturale
vix primæ institutionis Matrimo-
nii. Atque si de tali intentione suf-
ficienter constaret in foro externo,
utique potestas aliam ducendi uxo-
rem concedi posset. Et talis forsan
casus fuit ille, de quo meminit
objectio, dum asseruit magno cui-
dam Comiti Romæ concessam esse
facultatem aliud inveniendi Matrimo-
nium, vivente priori conjugè, utpo-
te putatiivâ tantum. Ad s. N. Con-
seq. Nam Matrimonium Ratum non
significat conjunctionem Christi
cum Ecclesia, & unionem hyposta-
(R. P. Puchler Decis. T. 20.)

ticam, uti Consummatum, sed solum
conjunctionem Christi cum anima
fidelis per gratiam sanctificantem,
quæ conjunctio per peccatum mor-
tale solubilis est. Differunt itaque
Matrimonium Ratum & Consumma-
tum in significatione sua, quamvis
non differant in substantia. Et Ec-
clesia textus Scripturæ, volentis
Matrimonium indissolubile esse, in-
telligit de Consummato, non de
Rato. Ad 6. *Can. Uxor* dicitur esse
suppositivus, non S. Ambrosii, quia
alibi docet contrarium. Dein doct-
rina unius S. Patris non est dog-
matica, minùs prævalet Ecclesiæ doct-
rinæ. Demum posset dici, S. Am-
brosium, si Textus esset ipsius, lo-
cutum esse juxta *Legem Juliam* Civi-
lem, quæ tunc erat in usu vel po-
tius abusu. Reliqui duo Canones,
si habeant auctoritatem, explicari
debent juxta c. 1. h. t. ubi *Canon si qua*,
primitus in Concilio particulari
Wormatiensi seu apud Vermerias
editus, vel ideo vim Juris non ob-
tinuit, non nihil mutatus ponitur,
& additur *post mortem Uxoris*, si volu-
erit, aliam ducere potest, item in
Can. concubivisti principaliter in adul-
terantem statuitur impedimentum
criminis *impediens*, ita ut nec post
mortem innocentis conjugis licitè
potuerit contrahere Matrimonium
ullum: quod impedimentum con-
suetudine nunc sublatum est.

Postquam hæc ex me audivit
vir ille præcellens, abiit, sed, ut
Mum

ex vultu apparebat, subtristis; quia tamen bonus fuit Catholicus, destitit in sua intentione contrahendi aliud Matrimonium, & sic usque ad

mortem in sua cruce permansit, & ternam utique mercedem habiturus in Cælo.



TITULUS XX.

De Donationibus inter virum & uxorem, & Dote post Divortium restituenda,

DECISIO CXLIII.

De Vidua post mortem Mariti stuprum admittente, cui propterea hæredes mariti renuunt restituere Dotem.

SPECIES FACTI.

Bertha Vidua post mortem Mariti luxuriosè vivere cœpit, & admisit stuprum (sic vocatur concubitus cum Virgine, & Vidua, adulterium verò cum conjugata commissus. Text. & Gloss. in l. inter §. 1. ff. ad L. vel. de adult.) quod delictum postquam in-